

conficiendi scientiam, Inventorem alium non agnoscere, quàm DEUM Optimum Maximum, quem eas Protoplasto, in posteros transfundendas, infudisse unà cum aliarum rerum notitia, semper credidi. Quis enim non divinam, omnique humano ingenio superiorem existimet scientiam illam, quæ Cælum in Terram devocat, docet quæ immensa cælorum volumina, longissimas & latissimas Solis ac Luna vias, varios reliquorum Planetarum ordinatissimos errores, & universum penè cælestium corporum exercitum, in terra exhibere, & vel stylo umbrato quasi digito describere in campo lucido, vel radio in umbratili variorum planorum ac corporum decircinare, atque ob oculos non mentis tantum, sed corporis quoque ponere, idque modis ferè infinitis, & radio vel directo optice, vel reflexo catoptrice, vel refracto anaclasticè? Atque hæc omnia geometricè per lineas, arithmeticè per numeros, organicè per varia instrumenta, in eum finem felicissimè à variis Aucto-ribus inventa? Si quæ ergo ex omni Mathematicarum Disciplinarum complexu Principum ac Nobilium ingenia decet, animosque delectat, hanc ipsam, qua de nunc sermo, esse jure meritò crediderim. Quod & Au-